11

F. D.

Ex

HISTORIA CIVILI VENETUM REGIMEN,

Adumbrarunt,

Diſputaturi

M. CONRADUS SAMUEL SCHURTZFLEISCH,

&

NATHANAEL BENJAM. HOPPIUS,

Gedanenſis,

Ad diem 26. Octobris

In Auditorio minori, horis matut.

CUM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio L.

LIPSIÆ, Apud NICOLAUM SCIPIONEM,

M. DC. IIC.

I.

INitium Venetiarum tenue fuit. (*a*) Incrementa ampliſſima, ſucceſſus planè ſingularis, & ſtupendus poſteritati eſt.

(*a*) *Primùm fundata circa Rivum altum eſt. Hinc celebris ll. V. Scriptoribus Origo Rivaltina, tanquam primus natalium Urbis Character. Quanquam verò initia Urbis parva, Conditores tamen & Habitatores illuſtres fuerunt. Rectè Blondus in deſcript. Urb. Ven. Civitas Veneta, inquit, non à Paſtoribus, ſicut Roma, ſed à Potentioribus ditioribusq; regionis olim à principio habitata. Atq; id ſatis ex Caſſiodoro innoteſcit. Caterum condita Urbs ante Attila adventum eſt. Adſtipulatur Sabellicus. Diſſentiunt vulgo. Itali ipſimet. Conf. Franciſc. Berard. Agripp. Min. p. 319. Unum addo de ratione Vocis. Notione numerandi ſingulari totus maris Adriatici tractus deſignatur. Notione numerandi ſingulari totus maris Adriatici tractus deſignatur. Notione ea, qua alioqui ad denotanda plura impoſita rebus eſt, Urbs ſola ſignatur.*

2. Civitas ſine muris, ſine portis: palis & paludibus (*b*) innixa: ſita in mediis undis, undarum non timet fluctus.

(b) *Nempe lacuna atq; aſtuaria Adriatici maris vera aſylum libertatis facta. Ordinantium hoc Fatorum opus, non hominum tantùm.*

3. Italiam perhibent Europæ Centrum, (*c*) quorum labor in pulvere eſt. Ego Venetias non Centrum Italiæ, ſed oculum, Italorumque delicias dixerim.

(c) *Maraviglia Herm. Cæl. p. 162.*

4. Primordia Venetiarum eadem, quæ Erphordiæ, traduntur. Huc allegantur Thuringici annales, ſuperioribus temporibus editi. Aſſentitur Petrus Lindebergius, (*d*) ille Rantovianæ laudis præco. De origine equidem Venetiarum non magna ſupereſt dubitatio: (*e*) De Erphordia certè maxima.

(d) *In comment. rer. memorab. p. 144.*

(e) *Sec. V. A. à N. C. 421. 7. Calend. April. Conf. M. Antonius Sabellicus Rer. Venet. Decad. 1. l. 1. pag. 4. 5.*

5. Si ſitus ingenia format, felix Venetiarum eſt ſitus. Gravitas, Fides, Taciturnitas alibi comparantur induſtria, Venetis ingenerantur.

6. Vegetos quoque Veneti animos, vegeta corpora habent. Duces, Senatores, Cives plurimùm longævi. (*f*)

(f) *Pleroſq; eorum enumerat Franciſcus Bac. de Ver. Hiſt. Vit. & Mort. p.515. Nota ſanè Franciſci Donati Ducis, Thomæ Contareni, Procuratoris S. Marci, Franciſci Molini, aliorumque nomina.*

7. Has dotes natura indulſit. Fortuna certè non minores. Commerciis opes, (*g*) opibus potentiam, potentia ſecuritatem paravit. Paratam ſtabilivit.

(g) *Tria felicitatis Venetæ momenta apud Sanſovinum: grandezza, nobiltà, richezza. Verè. In ſenatu æſtimo Majeſtatem. In familiis nobilitatem. In Civitate divitias, in ærario theſauros. Verum, ut facete Hiſpanus ille: theſauri alibi naſcuntur. Apud Venetos conſlantur. Interim conf. Dialoghi Hiſtorici dell' Italia. Part. 3. p. 136. Huc ſpectat vulgare proverbium. Venetia la ricca.*

8. Senatus quaſi Regum eſt. Senatores Attica Severitate conſpicui. Incedentium auguſta ſpecies, auguſtus Vultus eſt. (*h*) Ducis magnus ſplendor, Poteſtas Senatus eſt.

(h) *Auctor Gallus D. T. V. Y: de la Republique de Veniſe. Benjamin Priolus in inſcriptione ad Princip. & Remp. Venet. Hic dicere liceat cum illo Romano. Senatus ille? Quem qui ex Regibus conſtare dixit, unus veram Romani Senatus ſpeciem cœpit.*

9. Reſpublica miraculum inter Reſpublicas. Stetit ſupra millè annos. Stabit longiùs, ſi ſtabit Terrarum ille Orbis.

10. Hæc ſuis ſemper Legibus uſa, nullius obnoxia imperio, nullius addicta juri fuit. Libera ſurrexit, libera adolevit. Limitem diceres orientem inter & occidentem. Utrique olim amica, neutri ſubdita. Subacta armis aliquando, (*i*) non multo poſt rediit ad priſtinum vigorem. Comitatis ſæpè edita exempla, (*k*) civilis obſequii nunquam. Et credo Fata ſic voluiſſe, ut Venetiæ eſſent ſui juris.

(i) *Auct. Vit. Kar. M. ſubjecta, inquit, Venetia ac ducibus ejus in deditionem acceptis, &c.*

(k) *Teſtatur Paulus Æmilius Veronenſis l. 3. Venetias medium inter duo imperia cardinem fuiſſe. Affirmat inſuper, Rempublicam utriusque Imperii Majeſtatem comiter habuiſſe, non paruiſſe. Sequitur Æmilium Petrus Berthautius, nos utrumque.*

11. Provehamur in Continentem. Mare Inſulasque relinquamus ad tempus. Videbimus non eundem utrobique poſſidendi titulum eſſe. Tranſeat imperium Adriatici maris. Tranſeat dominium vicinarum Inſularum. Aſſeremus Reipublicæ. Vindicabimus, quod ſuum eſt. Civitates (*l*) in continente poſitas non vindicabimus. Imperio præter jus ereptæ. Imperium repoſcet. Et jam olim repoſcendi auctor fuit Auguſtiſsimus noſter Maximilianus.

(l) *De*

(l) *De Arimino & Faventia non diſſimulat Petrus Bembus, Hiſt. Venet. l. 6. p. 252. Vellem nihilo ſecius de Patavio, Tarviſio, Verona, Cremona, Vincentia, & ſimilibus confeſſus fuiſſet.*

12. Emenſi campum ſumus. Redeamus ad mare. Satis ſpectavimus continentem. Denuo invitat ſinus Adriatici maris. In hoc Venetis præſidium, Civitati Venetæ firmamentum. Quod quam dictu mirum, tam veritati innixum eſt.

13. In Civitate primò obvium Civitatis Caput. Dux Venetis (*m*) appellatur. Cujus præcipua dignitas, maximi honores. Nec ſine curis arduum illud munus. Princeps eſt. Sed nunqvam ſuæ ſpontis: nunquam ſuarum arbiter actionum. Privatim alloqui ſuſpectum, & prohibitum lege. In conſilia ejus intenti omnes. Rimari deſtinata, obſervare quid agat, jam adulti moris. Non exit, niſi convocetur Senatus. Incluſus palatio: (*n*) excluſi ab aditu exteri, exterorum legati. Donec amat, amatur à Senatu, donec colit, colitur ipſe. Sancit Senatus leges. Dux nomen, titulum legibus præſcribit. Sed verò peccare in Rempublicam Duci capitale. Jam ducentis abhinc annis Dominatio Martini Phaletri expiata morte eſt. (*o*) Supervacuum id mirari. Poteſtas ferendi leges penes Senatum eſt, ſaltem auctoritas penes Principem. Judicant, jubent, conſtituunt Senatores. Duci fermè ſufficit audire. Sequi neceſſe eſt. Niſi ſequatur, pro hoſte habetur. Accuſandi & puniendi hujus facultas. Rigor juſtitiæ tantus, ut nec conqvieſcat poſt mortem. Vivum coërcere Decemviri poſſunt. (*p*) Ab exceſſu demum examinant Vitam, qvam egit, officium, qvod geſſit. (*q*) Si ſanctè habuit Leges: Si rationes adminiſtravit, ut reſpondeant impenſis: ſi impenſas fecit, ut reſpondeant rationibus, ſanctum Ducis nomen, prædicatio meritorum ingens, gloria immortalis eſt.

(*m*) *A Venetis Doge nominatur. Dux ſine imperio civili, princeps ſine principatu. Nudus Majeſtate, ſolo honore ſupremi Magiſtratus contentus. Vid. Sanſov. in libr. ſub tit. Venetia, & l. 19. Rep. Venit. Summatim: Reſpublica Senatusconſultis regitur, non legibus Principum. Obſequium populi, imperium Nobilium eſt.*

(*n*) *Gallus quidam Novitius ſaturam pane hic affectat, dum ſcribit. Il eſt auſſi un illuſtre Priſonnier. Perinde quaſi non habitantem in palatio, ſed incluſum veluti carceri dicere vellet. Sed parum reverenter loquitur iſte Gallus.*

(*o*) *Caſp. Contarenus l. 3. p. 99. de Rep. Venet. Ex eo Kranichſ. cap. 7. de ducibus. F. Leander Albertus Marium Falerium vocat in Venet. duc. ſerie p. 380. Quod Ducibus, idem Senatoribus venire uſu poteſt. Perit Dignitas Senatoris, ſi peccat. Supplicio vindicatur. Exemplum recitat*

citat Boxbornius, ſed plane tragicum. Vid. Inſt. Pol. l. 1. cap. 5. Omitto referre alios. Bajamons Theupolus in exilium actus eſt. De quo ſat proditum eſt.

(p) *Ordinarie Dux intereſt Collegio Decemvirorum. Accurate ſi loquar, non praeſt. Intereſt autem, donec Reipubl. aſtimat bonum. Abeſt à dignitate, ſubeſt collegio Decem, ſi quid in Remp. molıatur. Etiam cùm non molitur, habent Illi, quæ non communicent cum Duce. Jam conſtat de Poteſtate Ducis. Non acciri ſemper, non participem reddi omnium, quæ deliberantur, non ferre deliberantibus leges, multum diſtat ab Imperio Civili. V. la politiq. des Venitiens. Ex hiſtoricis ſufficiat Caſp. Contarenus l. 3. de Rep. Venet.*

(q) *Vid. Dialogh. part. 3. p. 109. p. 112. Aliis enim in Republica inqvirendi aliis corrigendi negotium datum eſt. Illi excutiunt vitam, & inquirunt in facta. Hi, an quid mutatum in legibus ſit, ſolicitè circumſpiciunt. Mirum, quod poſt mortem. Si quid peccatum, vindicatur in liberos, vindicatur in propinquos. Quod ſanè indicio eſt, Ducem adeo non eſſe cum imperio, ut quoque vix ſimulacbrum habeat imperantis.*

14. Excusſimus, quæ Ducis hodie ſit poteſtas. Veſtigemus, quæ olim. Reperio, qvi blandiantur Duci, adverſentur Senatui. Ego aſſentiar iis, qvi derogant imperium, etiam ab ultimo tempore Creatorum Ducum. (*r*) Leges de Libertate cum Venetis natæ. Ingenium idem, qvod Spartanorum. Si non majus. Si non tenacius aviti moris. Ephoros quæris? Habe Senatores.

(r) *Primus in Republica Princeps memoratur Paulutius Anafeſtus, qui Sabellico Paulutius Heraclianus eſt. Aut. les Duces & Princes de la Rep. de Veniſe, p. 623. Sab. rer. Venet. decad. 1. l. 1 p. 15. Error hic in temporis numero non unus. De anno Chriſti facile conveniamus licet. Is traditur 697. Videatur Nobilis Gallus D. T. V. T. quem autor ſerici Ducum Venetorum fideliter expresſit: pag. 372. Additus Editioni Contareni eſt Lugduni Batavorum Anno 1628. Major controverſia de Epocha creatorum Ducum, ab A. U. C. Refert dubitanter Sabellicus. Et ſentire mavult ex mente aliorum, quam ſua. Jam 282. jam 297. Mox 276. allegat. Decad. 1. l. 1. Hiſt. Ven. Qui multum Donato Jannotto tribuunt, verum in Republica Principatum viguiſſe ajunt. Sed exigua apud me auctoritas Jannotti. Thuſcus fuit, eoq; peregrinus in Venetûm rebus. Quod vellem ſecum reputaſſet Sabellicus. Multo magis explodendum, quod aſſerat, poſt Sebaſtiani Ziani obitum converſam Regiminis formam. Tabulæ antiquæ, domeſtici annales, monumenta proba omnia refragantur. Sed jamdudum confutatus à Nicolao Craſſo Jannottus, ille Florentinus eſt. Et caſtigatur ſubinde à Theod. Graſwinkelio in libro, cui titulum præſcripſit, Liber-*

Libertas Veneta. Nempe mutationes Reipublicæ non in Ducibus, ſed ante Duces quærendæ. Primò Conſules: Deinde Tribuni: poſtremò Duces creati. Varietas electionis non variat Reipublicæ formam. Aliquando ſcrutinium, quod dicitur, valuit. Mox itum in ſortes eſt.

15. Nondum ſiſtendus eſt gradus. Præceſſit Princeps. Seqvuntur Senatores. Horum veſtigiis inſiſto. Via hæc ad Civitatis robur, ad Reipublicæ nervum me ducet. Præcluſus hic aditus plebi. Non conſulitur, non rogatur. Solo obſequendi jure contenta. Summa penes Senatum poteſtas. Sancit leges, pacis bellique tempora ordinat. Fœdera pangit, inducias facit, vitæ, mortis, rerum in ſuo territorio omnium arbitrium habet. Imperium Principatu temperatum non agnoſco. Multo minus dabo regimen optimatium populi juribus immixtum. Falluntur, qvi imaginem pro re, umbram pro corpore venditant. (*s*)

(s) *Nobilium à primo Urbis natali libertas viguit. Populus ad ardua imperii nunquam admiſſus. Laxe nimis loquitur Contarenus. Hunc ſeqvuntur alii. Itali juxta & Germani. V. Caſſ. Ens th. polit. ap. 4. Nec veſtigium apparet formæ mixtæ, præſertim ejus, quæ diverſas colligit ſpecies. Paucorum regimen deprehendo. Nil præter illud. In Senatum recipitur nemo, niſi patricii Vir ſanguinis. Nec ad Senatum, nec ad Comitia aditus plebi. Dicere ſententiam Princeps poteſt, non ſtatuere. Statuit autem Senatus. Palam ergo eſt, nullam hic formarum civilium eſſe compoſitionem. Eſſe contra regimen purum, ſimplex, non coagmentatum ex diverſis. Ex capite præceptionum Civilium fortè ſic colligam licet. Ariſtocratia reſpicit paucos, quatenus optimos: Oligarchia, quatenus ditisſimos. Hæc conſtat Veneto Regimini, non illa. Exemplum in concilio Rogatorum eſt. Huic adhibentur Patricii, non quatenus Virtute valent, ſed ſumptu. Non quod exiſtimem, hos expertes Virtutis. Sed quia ſub ratione Virtutis non admittuntur, non alleguntur. Et ſunt, qui inde male ominentur Venetis. Metuendæ enim converſiones, ſi paucæ familiæ excludant reliquas, ut nil deferant aliis, omnia retineant ſibi. Sed de hoc monitum ſatis. Jam reſtat diſpiciamus, qualis ſit ille Oligarchiæ ſtatus? Dixerim ſimplicem. Negaverim mixtum. Sed velim hic diſtinguatur arduum Reipublicæ munus ab imperii jure, adminiſtratio à Majeſtate. Dicit, decernit Conſilium Decem. Nomine ſuo? An alieno? Proprio jure? An tradito? Unde tradito? A conſilio magno: à collegio Senatus univerſim ſumpti. Sed ſunt conſilia diverſa. Jubent, ſtatuunt, ordinant. Titulo Majeſtatis? An conceſſionis à Majeſtate factæ? Sunt in Imperio Germ. Collegia, conſilia diſtincta. Eorum tamen, quatenus à Cæſare diſtinctorum, individua Ariſtocratia, individuum decernendi, ut loquimur,*

quimur, ex ſemiſſe jus eſt. Sed redimus ad Venetos. Et una redit Oligarchia. Adſciſcuntur in conſilium magnum Nobiles. Præter hos nemo. An optimus ſit, nil refert. Modò Patricius ſit. Patriciorum cura, primario indulgere commodis ſuis. Secundario plebis. Plebem etiam ſimulacris quibusdam demereri. Leviora quædam munera huic concedere. Ardua illa, & in quibus Imperii nervus, ſervare ſibi. Contareno in hac parte non auſim adhibere fidem. Hoc minus, quod aſſerat mixtionem ſtatus popularis & regiminis optimatium. Eadem judicandi ſolertia, qua alibi jus magiſtratuum diviſum appellat. Sed Salva res eſt. Altior civilium intellectus rerum deſtituit virum. Interea ſalvum hic cuiq; judicium eſto. Meum mihi.

16. Processimus uſque ad Senatum. Inſtandum cœptis. Perſequendum iter. Eundum in Concilia, veniendum ad Magiſtratus eſt. Ordiar à Concilio Magno. (*t*) Hoc Reipublicæ fulcimentum eſt. Eminet inter Conſilia, vindicatque ſibi poteſtatem ſummam. Eo conveniunt Patricii univerſi: ſaltem conveniendi jus habent. Nec tamen ruere huc, aut intrare, cum libet, conceſſum. Ætas requiritur matura. Hanc definiunt Leges. (*u*) Qvinque & viginti anni ſufficiunt. Hos ſi excesſit, ſtatim audit Candidatus. Mox collega ex Candidato. Sed familiam, imagines, inſignia oſtendenda in anteceſſum. Si oſtendit Candidatus, ſorte aſſumitur, judicio probatur. Adeo hic irrepere non licet. Quin expectanda ſedes, priusquam occupetur. Occupanda, cum ſinunt leges.

(t) *Vernacula Venetorum, Gran Conſiglio, effertur. De quo recte Sanſovinus. E tutto compoſto dell' aggregato di Gentilhuomini Vinitiani. In libr. inſcript. del Governo della Rep. Vinit. Contareno univerſus Civium (proprie dictorum) conventus eſt. De Venet. Rep. l. 1. Atq; is ſive præſidium, ſeu baſis vaſti illius corporis poteſt appellari. Nam exinde ſpiritum ducunt reliqui Magiſtratus, & leges vim accipiunt ſuam. Confidenter Contarenus & verè pronunciat, ex eo pendere totam Rempublicam. Nempe hoc eſt, denotare Regimen Optimatium Venetorum. Denotant vulgò ſub titulo Signoria di Venetia. Ad ultimum noto. Qui Comitia majora dicit, Conſilium hoc Magnum dicit. Hoc legentibus Bembum aliosque facile obſervandum.*

(u) *A legibus indulgentia ſæpe relaxat. Nam & Vicenarios admitti, probare ex Sanſovino eſt. Add. Mercurius Italicus in Venet. p. 33. Contarenus loc. cit, p. 30. 31. exponit rationem. Rationis ſumma. Ut fraus dolusve abſint: Ut irrepere volentibus aditus intercludatur.*

17. Proferimus pedem. Diſcedimus ad Concilium Pregadinorum. (*v*) CXX. Nobiles interſunt. Ex his LX. Senatores: Senatoribus iterum ſexaginta adſcripti.

adſcripti. Quicquid hic ſtatuitur, ratum, quicquid imperatur, ſanctum eſt. Arbitrium hic pacis & belli, exigendi cenſus, imponendi tributi. (*x*)

(v) *Conſiglio di Pregadi. Falſo ſcribunt di Predagi. Conſilium Pregadinorum ex omnibus paucorum conſiliis coaleſcit. Vid. Aut. Th. Polit. Ap. 4. Add. Sanſov. cit. loc. Aut. Gall. de la Rep. de Veniſ. imprimis Relatione della Repca di Venetia, in Cod. MSP. Præter hos Contaren. l. 3. p. 84. ſeq.*

(x) *Concilium hoc recte Senatus nomine inſignitur. Non diffitetur Contarenus, nec diſſentiunt ſcriptores graves. Appoſite auctor Gallus ait: ceſtuy-cy eſt vraiement Senat, qui ſe nomme li Pregadi. De la Republiq. de Veniſe. Atq; id compendium eſt Concilii majoris. Qui cooptantur, ex conſilio majori deſtinantur Pregadino, & ſorte ac judicio probati recipiuntur. Vid. Cont. l. 3. de Rep. Venet. De numero notant hodie augeri ſæpè, ut augendi rationes ſunt viſæ.*

18. Inſiſtendum itineri. Inſiſtendum cœptis, & monendum de Conſilio Decem virorum. Vigor huic à multis ſeculis idem. (*y*) Felicitas in ſopiendis ſeditionibus ſingularis. Neque id miror. Clauſos animos gerunt. Futura provident, prohibent nocitura. Verba inſuper operibus, conſulta factis conjungunt. Hic Principi dignitas ſedendi attributa. Sæpe etiam ademta. Si trahere in ſe vim legum, ſi inſurgere in Senatum voluit. (*z*) Minime, credo, fallet, qui animam Venetæ dixerit Libertatis. Effœtum jam diu Reſpublica corpus fuiſſet, niſi Decemviri inſtauraſſent vires, & propæ langueſcenti robur reddidiſſent ac vitam. Veneratio quoque Conſilii ingens, poteſtas ſane maxima, &, ſi non abſoluta, abſolutæ tamen quandoque vicaria. (*aa*) Hujus munus deliberare, quod è Republica viſum, arcana Imperii ſervare ſibi, ſervare collegio ſuo. Hujus opus, reprimere ambitum, (*bb*) moderari ſuffragiorum jus, (*cc*) rei maritimæ habere curam, (*dd*) providere machinis, tormentis, tormentorum præfectis. (*ee*) Hujus in tantum religio erga Ducem, in quantum fides Ducis erga Rempublicam.

(y) *Vid. Aut. l. la politiq. des Venitiens chap. 2.*

(z) *Extraordinaria hæc poteſtas, & nonniſi in ultimo Reipublicæ diſcrimine uſurpata. Vel ut loquitur auctor Relationis Manuſcriptæ, in caſo di grandisſima importanza. Litteræ Conſilii hac ſcribuntur forma. C. X. Vid. Aut. Dialog. Ital. qui ſcriptorem Relationis MSP. ſæpe deſcripſit ad verbum. Imo nec pauca deſumſit ex Sanſovino. Cæteroquin dictorum ſenſus characterum patet hoc modo: Capi de dieci. Id caput, id ducem in Concilio ſonat. Gallus tamen novitius in libr. Anno 1669. edito à ſe impetrare vix potuit, ut capitis honorem largiretur Duci. Polit. pag. 51.*

Diplomata, quibus Reipublicæ decreta continentur, hanc exhibent ſcripturam. Doge di Venetia. c. con il ſuo conſiglio di dieci. Id eſt. Dux Venetiarum c. cum Conſilio noſtro decem.

aa) *Italus ſcriptor novus ait. Il Conſiglio di Dieci delibera con poteſt à aſſolutà. Sed æſtimat caſum extraordinariæ necesſitatis. 2. poteſtatem non ſuo, ſed Reipublicæ nomine conſideratam. Si aliter ſentiat, noſtro judicio perperam ſentit.*

bb) *P. Bembus Hiſt. Venet. l. 1. p. 34.*

cc) *Ib. lib. eod. p. 26.*

dd) *Aut. Dialog. part. 3. p. 95.*

ee) *Aut. Relat. MSP. Ubi multa extant alia. Reddam breviter. Secreta hujus Conſilii conſultationes, deſtinata occulta, judicia momenti maximi. Huc pertinet ea Conſilii Decemviralis cura, quæ in vitandis pravi exempli moribus enixisſime occupatur. P. Bemb. H. V. l. 1. p. 37. Nec vile illi literarum ſtudium. Auſpicio ejus Hiſtoriam Venetam ſcripſit P. Bembus. Vid. l. cit. p. 3.*

19. Aperta hactenus via eſt. Patuit ad Conſilia aditus. Jam ad Collegium feſtinandus gradus. Sic tandem procurremus ad metam. Itaque ſerviamus inſtituto, & de Collegio tradamus. Nomen habet à perſonis, quibus continetur. (*ff*) Numerus ternarium non excedit. Quotquot inſeruntur, Nobiles ſunto. Virtute elucento. Adeo magnus ille honos, & Reipublicæ utilitate metiendus. (*gg*) Contra nociturus, ſi venalis. Alibi neceſſitudo & favor: hic ſola merita æſtimantur.

(ff) *Collegium unum. Claſſes Magiſtratuum diverſæ. Egregium Collegio nomen. A Sapientia inditum nomen eſt. Propterea Sapientum appellatur. Hujus tres Magiſtratus: tria quoque officia diverſa. Enumerat Sanſovinus. Hunc ſequitur theſauri Politici auctor: reliqui ferme omnes. Curare tabulas, obſignare literas ad manum injiciendam comparatas, exarare diplomata, cum eundum ad regendas provincias eſt, incumbit ſapientibus primæ claſſis, qui Grandes dicuntur. Laborare inſuper de iis, quæ cum in pace, tum in bello momentum habent. Imò & ſcribere ac reſcribere Principi, bis ſolenne. I Savi grandi, Italis. Quidam ex Gallis explicant: I Sage de l'Eſcriture. Rei maritimæ, negotiorumque, quæ ibi eveniunt, molem ſuſtinent Sapientes, quos moris eſt appellare à mari. Italis Savi di mare. Alias Savi de gl' Ordini. Gallis: le Sage de la mer. Hæc altera Sapientum claſſis. Qui Continentis curam ſibi vindicant, juxtaque munitiones & præſidia penſi habent, nomen à Continente gerunt. Venetis Savi di terra ferma. Gallis iterum Sage de la terre ferme. Hic Sapientum ordo poſtremus eſt.*

gg) *Ludi*

(gg) *Ludibrium inter Sapientes, qui non ſapit, qui non capit, quod eſt Sapientum. Laudandi Veneti, qui viros adhibent perſpicaces & peritos rerum. Magna hac amoris in publicum integritas: nec prudentia minor, exuere inimicitias domi, induere amicitiam in Senatu, & vitare diſcordiam in media diſſenſione. Scilicet hoc eſt, re ſibi, exemplo aliis prodeſſe. Verbo: Sanctum ſeriumque eſſe debet, quod agitur in Curia Sancti Marci.*

20. Exiguum eſt ſpatium, quod datur perrecturis. Proinde imitabimur eos, qui ſolvunt naves. His prætervehi non rarum. Modo maturetur navigationis curſus. Modo citius exponantur in terram. Idem nobis, quod ipſis delicium, portus. Præterivimus multa, (*hh*) ut plura relinqueremus aliis. Multa etiam ſervaremus nobis. Erit forte, ut non pœniteat cœpti.

(hh) *Multa reſtabant, quæ moneremus de Magiſtratibus reliquis, deq; omnibus iis, qui ſive Reip. à conſiliis, ſive ab officiis ſunt. Perſequitur hæc omnia Sanſovinus de rep. Venet. Poſt hunc Lucas de Linda de Reg. Polit. Reip. Venet.*

21. Stetit Reſpublica, inter Reſpublicas Regina. Stetit Imperatrix Adriatici maris. (*ii*) Stetit regiis inſignibus evincta. (*kk*) Stabit, donec æternitas rerum. Terra & mari ſemper potens fuit. Semper erit. Jam longo tempore ſuſtinuit Barbaros. Vix conjuncti ſuſtinuiſſent Reges. Ceſſit tandem. (*ll*) Cedendo Victrix eſſe maluit, quam vincendo dare omnia in caſum.

(ii) *Jure ſibi vindicat Adriatici imperium maris. Etiam frémente Pontifice. Occupationis, dubium, titulo, an uſucapionis, an donationis, an transactionis? De poſtremo, & qui proximus ab hoc eſt, multa inter doctos diſceptatio, certamen ingens. Illud vero non impedit veritatem quæſiti juris. Eadem ratio poteſtatis in territorium continentis, quæ in territorium maris. Hoc vero multis firmatum nominibus Veneti habent. In occupatione & uſucapione non minimum momentum. Fallunt, (neque hic Grotio poſſum indulgere) qui negant dominii capax mare. Occupari contra poſſe & redigi in Patrimonium Rerumpublicarum, jam dudum evicit Seldenus. Seldenum ſequuntur, qui ſtudia partium procul habent. De jure uſucapionis non vocat quid addere. Id Moratiorum Conſenſus Gentium admittit in publicis rebus. Niſi admiſiſſet, nullum inter gentes ſecuritatis Vinculum foret. Jactarentur perpetuo Reges & Regna. Turbarentur Principes & Principatus. Nullum humani ſanguinis pretium, nullus favor eſſet. Hic probem, quæ diſſeruit Royus, in hoc argumento exercitatiſſimus ſcriptor.*

(kk) *Res-*

(kk) *Reſpublica Regia. Hinc Regium Jus, locum inter Reges, Regumque Oratores debere ſibi contendit. Regna redegit in ſuam poteſtatem. A Regnis Diademata habet. Ex his Cyprus, Creta, Dalmatia. Illa amiſſa: iſtius caput proximè ademptum. Hanc etiamnum poſſidet. Vid. Co. Alfons. Loſchius Italus in Comp. Hiſt. della Republ. di Venetia, è ſuoi ſtati.*

(ll) *Nondum coivit vulnus, quod ex Candiæ deditione accepit Chriſtianus orbis. Propugnaculum quanto antehac impendio defenſum, tanta jactura nunc amiſſum. Fati hæc ira fuit. Geſſit bellum ſuo ſumptu. Terra legiones, mari claſſes oppoſuit. Nil demum omiſit, quo & repelli hoſtis, & ſervari caſtrum poſſet. Sed melior deſtinatio, quam ſucceſſus: major etiam aliquando animus, quam vires. Interim incendi furor hoſtis, & per clades graſſari ad clades. Nullum furoris remedium, nullus cladium finis, niſi cederet Reſp. Cedere ergo viſum. Cedendo conſulere rebus, quædam amittere, quædam retinere, revera vincere. Nempe hoc mirabile vincendi arcanum eſt.*

22. Qui mari vehuntur, opem ſperant à portu. Voti compotes, aram ponunt Neptuno. Ego Deo ponam Reiq; Publicæ VENETORUM.

23. Deſtinavi aram. Habe aræ exemplum, habe pietatis, Reſpublica Sereniſſima. Imperium, Imperii Libertas, Libertatis Gloria Tuæ argumenta Gentis. Exhibuiſti Dominam Europæ, Imperatricem Orbi. Serva Decus. Serva decoris Famam. Res præteritas æſtima, futuras pondera, præſentes exequere. Gerant bella, qui velint. Tu expecta. Repellere, ſatis ad laudem. Amorem Gallo, Honorem Hiſpano, Reverentiam Cæſari proba. Aucta ſatis Reſpublica eſt. Defende auctam. Sic ſecuritatem conciliabis Tibi, Prudentiam repræſentabis Tuis. Tuere Imperium. Tueri glorioſum. Affectare, quæ non capias, intutum. Acquieſce partis. Mitte aliena. Non auſim hortari ego. Hortabitur Cameracenſe Fœdus. Elige Duces, qui velint, quod debent, qui poſſint, quod velint. Inſtrue Præfectos Annonæ, ut vigilent maturè, ut conſulant rectè, ut diſpenſent liberaliter. Arcere avaritiam, obſtare avaris, imponere negotiis probos, tuæ honos Civitatis. Nobilibus manſuetudinem erga Cives, amorem erga Senatores, fidem erga Rempublicam, conſtantiam domi, patientiam foris perſuade. His rebus fiet, ut in id usque faſtigium pervenias, quod decet prudentiæ & æternitatis ſedem. Hæc mea vota ſunt. Ex votis de animo cognoſce. Animi religionem intelligis. Hanc tradere Tibi, hanc tradere Poſteris juvat.